Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

qui post aurum non abiit nec sperauit in pecunia et thesauris.

Uae uobis quia saturati estis quia esurietis.

Saturatus erat diues ille purpuratus quando epulabatur cottidie splendide sed dirum uae sustinebat esuriens quando Lazari quem dispexerat digito guttam aquae quaerebat. Alioquin si beati sunt illi qui iustitiae semper operantur. Infelices e contrario sunt aestimandi qui sibi in desideriis placentes nullam ueri et inconcussi boni famem patiuntur. Satis sentiunt beatos si non ad tempus sua uoluptate priuentur.

Uae uobis qui ridetis nunc quia lugebitis et flebitis.

Et Salomon ait risus dolore miscebitur et extrema gaudii luctus occupat. Et iterum cor sapientium ubi tristitia est et cor stultorum ubi laetitia. Manifeste docens stultitiam ridentibus prudentiam ut supra docuimus flentibus semper adscribendam.

t. li x sot

Uae cum bene uobis dixerint homines.

Hoc est quod psalmista deplorat quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae et qui iniqua gerit benedicitur. Cui non minima paene (pars est) sceleris non modo non argui sed insuper quasi bene gesta laudari. Unde prouide dominus non ait uae quia bene uobis dicunt homines quasi distante aliquantum tempore culpam tardius poena sequatur sed uae inquit cum bene uobis dixerint omnes homines quia ipsa peccati nutrix adulatio sicut oleum flammis sic in culpa ardentibus solet ministrare fomentum maxima est utique poena peccantium. Nam quomodo pauperes esurientes et flentes malorum dec et inprobitate probari. Ita diuites epulis risuque uacantes per districti iudicis iram male obsequentium clientella maiorem fouentur ad poenam.

Secundum haec enim faciebant prophetis patres eorum.

Pseudoprophetas significat qui et ipsi saepe in scripturis sanctis prophetae solent appellari eo quod ob captandum uulgi fauorem futura praefari id est proloqui conentur. Unde dicit Hiezechihel. Uae prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum et nihil uident quasi uulpes in deserto prophetae tui Israhel erant. Itaque dominus in monte beatitudines solummodo proborum in campo uero etiam uae describit reproborum quia rudes adhuc auditores minis necesse est ac terroribus ad bona compelli. perfectos autem satis est praemiis inuitari.

t. lii x m xl

Sed uobis dico qui auditis diligite inimicos uestros benefacite his qui uos oderunt.

Quia dixerat supra quid inimicis pati possint. Nunc qualiter ipsi cum eisdem inimicis agere debeant ostendit. Multi autem putant sufficere uirtutibus non odisse inimicos ceterum diligere plus praecepi quam humana natura patiatur non uidentes quia et Moyses Samuhel et Stephanus pro inimicis orabant et mortuos David planxit inimicos. Neque enim dominus inpossibilia sed perfecta iubet. Non deficientes ergo dum tempus est operemur bonum ad omnes maxime autem ad domesticos fidei.

Benedicite maledicentibus uobis orate pro calumniantibus uos.